Legrand, Jacques: Sophilogium
[s. l.], [um 1453-1455] Seite 20v

tacio et disciplina mores facit et illud sapit quisque quod didicit Ita quod bona consuetudo excutiat quod mala instruxit Et idem libro primo de naturalibus questionibus Quis igitur non intelligat omnia consuetudinem vim suam prodere Et ibidem libro sexto Quarum diu decurrerit solita magnitudine eorum consuetudo subiciat Qui cupit igitur virtuosus fieri consuetudinem sibi querat honestam Unde Aristoteles primo methaphisice Illud quidem ad quod consueti sumus magis cuique est applicabile Unde multi per assuefactionem audiendi appollogos et fabulas cum auctoritate diuerterunt / quia teste Julio celso libro 2° rerum omnium magistra est consuetudo Et Salustius in iugurtino Plura inquit sunt que licet gravia sint tamen ex consuetudine pro nichilo habentur Unde quia plures peccandi consuetudinem habent ideo peccata grauia non videntur eis Si tamen virtutibus consueuerunt adhesissent facilitatem bene agendi et equalitatem et per amplius invenissent Unde Tullius in philippica 6° Omne malum nascens facilius opprimitur inveteratum autem plurimum fit robustius Mala igitur antequam veterata sint exstirpari debet quia consuetudinis maxima vis est inquit Tullius in tusculanis questionibus libro 2° de diminucione consilem suam ponit Unde ipse Tullius in oracione pro Cornelio balbo Usus inquit assiduus uni rei deditus et ingenium et artem vincit

Quam obrem scelerum rerum consuetudo pessima est et grauissima quia est imperium consuetudinis Nam consuetudo est altera natura ut inquit Averrois et Oracius in epistolis eandem tangit sententiam Hec omnia sapientem instruunt ut assuescat vivere recte prudenter loqui / quia teste Quintiliano libro primo Consuetudo est certissima loquendi magistra Discat igitur sapiens virtutibus latescere et moribus et vita sibi ceteris quod valeat prodesse / ad quod faciendum prodest honesta societas que virtutum exempla docet Unde Seneca epistola vii ad lucillum sic inquit Transi cum Socrate vive cum Zenone cum Crisippo cum possidonio Hii tibi tradent humanorum diuinorum quoque noticiam Hii videbunt in opere expediente ut non tantum scias eloqui et in oblectacione audiencium verba iactare sed et animum indurare et adversus minas te erigere Merito apostolus ad Corinthios vi dicebat Nolo vos esse socios demoniorum peccatorum tamen cum prauis peruersis pro propheta Quicumque igitur in virtutibus proficere cupit bonos et prudentes insequatur viros Unde Ambrosius libro 2° de officiis Pulchra est inquit societas seniorum et adolescencium Alii testimonio alii solacio sunt Alii magisterio alii delectacione conuiuunt Si quis enim homine

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs161/0044
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg